

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Nicolavs Cisnervs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

NICOLAVS CISNERVS

Iurisconsultus.



Ius docui, dixiq; scit Heidelberga Palati  
Imperij schola scit Spira, forumq; sacri.

M. D. XXCIII.

a

NICOLAUS CISNERVS MOSBACHII,  
Palatinatus Elect, oppido, natus anno  
M. D. XXIX.

Spectata vir industriæ, ac virtutis:  
Qui multiplice exquisitaque omnium pænè  
literarum præstans scientiâ;  
Philosophiæ, & Iurisprudentiæ Doctor  
celeberimus:  
Academiæ primò Heidelbergensis Antecessor  
Iuris ciuilib solertiss.  
Dein supremi Camere Imperialis Iudicij Af-  
fessor, per annos XLIX. integerrimus:  
Proiudex tandem, & Senator Illustr. Septem  
vir. curiæ Palatinæ digniss.  
Pereruditus in omni doctrinæ genere, ac præ-  
sertim in iure libris scriptis immortalem  
sui nominis laudem, & gloriam  
apud omnes mortales re-  
liquit sempiter-  
nam:

Iustitiæ & Aequitatis Antistes ac Præstes  
Opt. Max.

Musarum, & Historiæ cultor eximius:  
Pie sanctæque mortuus decessit Heidelbergæ,  
anno Sal. M. D. XXCIII. Prid. Idus Martij  
Aet. anno LIII. M. XI. D. VI.

IN NICOLAVM CISNERVM  
Iurecos.

IOAN. POSTHIL.

Maximus ingenio Cisnerus, corpore paruus,  
Aonidum vixit gloria, Iuris honos.  
Spiræ forū imperij, Themidisq; sacraria norunt  
Augusta, ac celebris littorâ culta Nicri.  
Quæ doctam toties vocem stupuere loquentis,  
Iam pia defuncti corporis ossa tegunt.  
Magna Palatini quem principis aula requirit,  
Et clara antiqui pulpita Gymnasij.

E I V S D E M.

Litterulas totidem planè & Cisnerus easdem,  
Quas Sincerus habet: collige, certus eris.  
Et bene: cui sincera fides, mens, vitæque tota est,  
Sinceri nomen conuenienter habet.

P. MELISSI.

Nominis hæc elementa tui Cisnere, disertim  
Transposuit Natura sagax, studio ne vel arte  
Fecerit occultans, artem studiumque Mineruæ  
Expertura mea? sincerus es atque fidelis,  
Theseâque fide non te sincerior alter:  
Theseas immo inter tu sincerissimus omnes:  
An non te Musæ inscribant Amarantide cerâ?

a ij

IOAN. LAVTERBACHII.

Nil iuris est in arbitros iuris neci.

*Cista quod est auro, nitidis quod scrinia gemmis,*

*Dolia quod vino, laxa quod arca libris:*

*Hoc Cifnere sacris es nostro legibus aeo:*

*Omnia sollerti pectore iura tenes.*

*Ingenio Cifnere tuo, ceu diuite cornu,*

*Eloquij puro flumine iura fluunt.*

*Dum Cifnere sacri durabit gloria iuris,*

*Durabit florens nomen in orbe tuum.*

*Non moritur iuris, non seruantissimus equi:*

*Mors nihil in iuris lumina iuris habet.*

*Aeternum iuris diffundunt lumina lumen:*

*Splendidius Lunam quod iacit orbe iubar.*

E I V S D E M.

In tumulum Cifneri.

Perire dignum laude Musam non sinit.

*Musarum, historia, iuris, pietatis asylum,*

*Cifnerus famam notus in orbe sua:*

*Post exantlatos Musarum mille labores*

*Iuris, & historia quos cumulauit amor:*

*Musis, historia, iuri valedixit, & orbi:*

*Astraque confessa cum pietate subit.*

*Quos immaturo correptus funere luctus*

*Mouerit, & lacrymas, Musa referre nequit?*

*Hoc desiderium testatur Principis ingens,*

*Clara Palatina quem fouet aula domus.*

Testantur Musæ, ius, historiaq; Patroni  
Mæste quæ digno nomen honore colent.  
Dum Musæ terris, ius, historiaq; manebunt,  
Cisneri multâ laude manebit honos.  
Haud moritur, famâ terrarum viuit in orbe,  
Quem ius, historia, Musaq; laude vehunt.  
PASCHASII BRISMANNI.  
Cisnerus iacet hic, sat dictum hoc: cætera nôrunt  
Munda, Oenus, Rhenus, Vistula, Tybris, Arar.  
NICOLAI REVSNERI.  
Quæ flet Diua Themis, quæ Peithô, quemq; Thaleia  
Et Clio, Charitum quem flet & ipse chorus:  
Quis fuerit, quæris fortassis, amice viator?  
Ingenio magnus, magnus & arte fuit:  
Cisnerus, cui dat victoriâ nomen & omen:  
Ingenio multos vicit, & arte viros.  
Magnus erat Iuris consultus, magnus & idem  
Orator, vates magnus, & historicus.  
Hinc flet Diua Themis, flet Peithô, fletq; Thalia,  
Flet Clio, Charitum flet simul ipse chorus.  
Flet schola, Casareum pariter flet triste tribunal:  
Atque Palatini Curia celsa ducis.  
Mortuus at gaudet se cæli sede receptum,  
Cum superis tandem viuere, cumq; Deo.  
Quisquis es, ut cælo viuas, terrena relinque:  
Et casus benè sic præmeditare tuos.